



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Acta Ecclesiae Mediolanensis**

Acta Synodalia Dioecesana Ecclesiae Mediolanensis, Pars Secunda

**Borromeo, Carlo**

**Brixiae, 1603**

Decretum. IIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11399**

SCIANT verò vrbis & diœcesis nostræ fideles, Synodalem hanc actionē à nobis indictam præcipuum quoddam charitatis studium ab ijs ipsis postulare, quibus in Christo ministramus; cum illa omnis eò pertineat, vt per nos [gressus illorum dirigantur in viam salutis.] Quare paterna cohortatione eos vehementer in Domino admonemus, vt & sua & nostræ causâ nobiscum orationis studium adhibeant: dieque Dominico Synodum præcedente, initio scilicet sacri Aduentus, primum verè penitentes & confessi, sacram communionē sumant; hoc maxime precantes, vt Dei auxilium te misericordia, nos ea, quæ ad nostram, eorumque omnium qui curæ nostræ commissi sunt, salutem pertinent, diligenter sancteque agamus. In quarum rerum fidem has literas nostra nostrique Cancellarij manu signatas confici, sigilloque nostro muniri, & promulgari, Metropolitanæque nostræ, & Collegiatarum Ecclesiarum, Aediumque Archiepiscopaliū valuis publicè affigi iussimus. Quam affixionem habere eam vim volumus, ac si ipsis singulis quorum interest, illa alata ac denunciata essent.

Datum ex Palatio nostro Archiepiscopali, Die 18. Septembris. 1574.

DECRETA EDITA IN SY-  
nodo Diœcesana quarta Me-  
diolanensi.

Decretum . I.

Ieiunij pridie festi diei S. Ambrosij seruandum.

**S**ACRI diei, quo B. Ambrosius singulari Dei munere & gratia Episcopus populo Mediolanensi datus est, celebritas, eò maiorem ab illo cultum deposcit, quò plura is beneficia tanto patrono intercedente, perpetuis temporibus à Deo totius consolationis, & patre misericordiarum accepit. Quorum nos beneficiorum memoria & recordatione excitati, proque animarum salute, cupientes à clero populoque nobis commissio debita religionis studia prestari, quo potissimum tempore id omnis pietatis ratio postulat: pridie festi eius diei à fidelibus ieiunium seruand-

dum declaramus & decernimus. Quod ex præcepto ieiunium in calendarium perpetuum eo statò die adscribitur, à parochis & vrbis & diœcesanis Dominico die proximè præcedenti populo religiosè denunciari mandamus.

Decretum . II.

PAROCHIALIS Ecclesiæ festo die, & in diœcesi, & in vrbe ( prout etiam ex veteri consuetudine compertum est ) illius Parochiæ incolæ ab omni seruuili opere abstineant; reliqua præsent, vt prouincialibus nostris Concilijs sancitum est, ad religiosum festi diei cultum.

Festus dies ecclesiæ parochialis à parochiæ incolis colendus.

Quo præterea die Parochus, quæ præcipuè tertio Prouinciali Concilio de vniuersiusque Parochiæ festo colendo constitutum, ad excitandam fidelium pietatē accuratè exequatur.

Tit. de fest. die. cultu. §. Quò religiosus. pag. 87.

Qui item illius Parochiæ adueticij, incolæ, & hospites, peregrinive sunt festum eundem diem seruent.

Qui in ea parochia habitant, si illo festo die ad opus faciendū aliò dolosè in fraudem abierint, eos grauiter Parochus arguat.

Decretum . III.

VT fideles nostræ curæ commissi, quo temporis spatio debent, diebus festis religiosè colendis ab opere seruuili abstinere; pro vrbis & diœcesis nostræ consuetudine, festi diei initium, à media nocte quæ illius diei celebritatem proximè præcedit, fieri; & sequenti itidem media nocte eundem diem terminari & concludi declaramus atque decernimus.

Qua hora scitus dies incipiat, & desinat.

Decretum . IIII.

FVIT olim tanti apud antiquos patres ille status in Ecclesiam propriam Parochialem fidelium conuentus, vt ad hanc disciplinam populi Christiani institutioni valde accommodatam retinendam, certis decretis cautio aliqua adhibita sit.

Fideles diebus festis conueniant ad Ecclesiā parochialem.

Primo enim hoc iussum est, vt Dominicis festisque diebus parochi sacerdotes antequam Missæ sacrum faciant, plebem interrogent, si alterius Parochiæ fidelis adsit; qui proprio contempto presbytero ibi Missam audire velit; quem si inuenerint, statim inde eiciant, & in Parochialem suam Ecclesiam ad Missam audiendam redire compellant.

Deinde



Deinde illud planè vetitum extitit, aliè  
nè Parochiæ fidelem à Parocho ad Mis-  
sam non recipi, nisi in itinere fuerit, &  
placitum ibi habuerit.

Cuius veteris disciplinæ restituendæ, in  
vsumque reuocandæ desiderio flagrans  
sæc. 4. dec. de refor. 4. sacra Tridentina Synodus, ab Episcopis  
fideles cum hoc moneri voluit, vt fre-  
quenter ad proprias parochiales Eccle-  
sias, saltem Dominicis diebus, Festisq;  
maioribus accedant: tum illud etiam di-  
ligenter, vnumquemque teneri vbi cõ-  
modè fieri potest, Parochiæ suæ interes-  
se ad audiendum verbum Dei; ac pro-  
inde id præterea statuit, ab animarum  
curam gerentibus, inter Missarum solen-  
nia aliquid ex ijs quæ in Missa leguntur,  
exponi; & sanctissimi illius sacrificij my-  
sterium aliquod explanari; plebes sibi  
commissas salutaribus verbis pasci; eas-  
demque doceri, quæ scire omnibus neces-  
sarium est ad salutem; in lege Domini  
erudiri; & sacra eloquia illis explanari;  
tam in vnaquaque Ecclesia parochiali  
pueros fidei rudimentis instrui.

Nos igitur eisdem Tridentinæ Syno-  
di decretis, & veteri salutari exemplo  
adducti, cum populum curæ nostræ com-  
missum rebus ad salutem necessarijs in-  
structum per bona opera ad præmium  
sempiternum perducere summopere in  
Domino cupiamus; nè fructibus ijs ca-  
reat, quos percipiunt, qui ex sanctorum  
Patrum monitis ad parochialem Eccle-  
siam frequenter accedunt: hæc nostra  
monitione vniuersos & singulos nobis  
in curam traditos fideles cohortamur,  
ac per viscera misericordiæ I E S V  
CHRISTI obsecramus atque obte-  
stamur, vt quamuis in suis vicinijs, oppi-  
dis, & suburbijs, oratoria, capellas, alias-  
ve Ecclesias habeant, vbi sanctissimo  
Missæ sacrificio interesse possint; fre-  
quenter Dominicis saltem alijsque so-  
lennibus festis diebus ad suam quique  
parochialem Ecclesiam conueniant: vbi  
à Parocho, cui eorum cura commissa  
est, verbo Dei pascantur, fidei Christia-  
næ rudimentis alijsque animarum salu-  
ti necessarijs præceptis erudiantur; ad  
sanctissima Sacramenta religiosius per-  
cipienda instruantur; ad eorundemq;  
frequenter vsum, vt illa sacra Synodus

optat, paternis eius cohortationibus in  
dies magis inflammentur; tum ab eodè  
item audiant, qui dies festi, si qui in heb-  
domadam inciderint, colendi; quæ vi-  
giliæ ieiunare seruanda sint; discant  
ab ipso item, quæ Christianæ pietatis of-  
ficia in illis religionè colendis præstari  
oporteat; ac quæ præterea supplicatio-  
nes, processionesve, aut stationes, oratio-  
nes, indulgentiæ, iubilæa indicantur; quæ  
matrimoniorum denunciationse fiant;  
quæ item pro ratione temporum admo-  
nitu iussu nostro ad diligentiorum eor-  
um institutionem promulgentur.

His, atque adeo alijs fructibus, qui ex pa-  
ternis Parochi vel in cohortando vel in  
monendo officiis existunt, eos carere cõ-  
tingit, qui ad Missæ sacrum ijs diebus in  
suam parochialem Ecclesiam non con-  
ueniunt.

Immo verò quòd hoc audiendæ illis die-  
bus Missæ parochialis munus à fidelibus  
minus diligenter præstatur, & à quibus-  
dam planè negligitur, multa incommo-  
da existunt: hinc sæpe fidei articulorù,  
& Dei sanctæque matris Ecclesiæ præ-  
ceptorum, quæ ad salutem consequendæ  
Christianam hominem nosse oportet,  
in plerisq; imperitia; festorù dierù cul-  
tus neglectus; debita Christianæ pieta-  
tis opera non exulta; non cognita Chri-  
stiana familiarum institutio; languen-  
scens sacerdotum parochorum omne of-  
ficium, eorum aliquis contemptus, san-  
ctissimorum institutorum, & sacrorum  
Canonum violatus vsum; hinc denique  
in Ecclesijs parochialibus, quæ à maio-  
ribus tanto pietatis studio exedificate  
sunt, instaurandis, ornandis, fartis, testif-  
que habendis cura multis ex partibus  
neglecta; in illisque nulla aut penè exi-  
gua ecclesiastica ad diuina officia obeun-  
da necessaria supellex.

His tot tantisque malis atque incommo-  
dis vnusquisq; occurrere studeat, id di-  
ligenter exequendo, quod sanctorum Pa-  
trum suadet institutum, quod Tridenti-  
na Synodus moneri iubet, quod ex illius  
iussu nos de vnus cuiusque vestram sa-  
lute solliciti, paternis vocibus cohorta-  
mur, & monemus in Domino.

Nec verò quemquam aliquod, quod vel  
ex parochialis Ecclesiæ aliqua distantia,  
vel



vel ex pluvia, frigore, estu, temporumve vicissitudine existit, incommodum ab hoc officio deterreat: immò verò ad illud diligentius exequendum, prout in Domino confidimus, se quisq; eorum accendat necesse est; qui salutis suæ memores, huius rei grauitatem eorum quæ cõmemorata sunt ratione perpèdent; quique aliquãdo secum animo reputabunt, non solum parochialem Ecclesiam sibi datam esse, in qua primùm baptismo suscepto Christo Domino renati alijs Sacramentis aluntur ad perpetuam salutem; sed parochum etiam Sacerdotem sibi loco parentis esse debere, quem diligant, colant, atque obseruent; hoc sibi proponentes, illum pro fidelibus sibi commissis apud Deum internum ac deprecatorem esse, diuinæ legis interpretem, dispensatorem mysteriorum Dei, Christianæ vitæ & morum disciplinæ magistrum, à quo omne petant piè recteque agendi consilium, ac ministrum deniq; omnium ferè, quæ ad salutem eis necessaria sunt.

Huic autem nostræ monitioni & si omnes pro præcipua suæ salutis cura audientes esse debent; in primis tamen patres familias, tutores, curatores, ludi magistros, cæterosq; aliorum modo rationi curationive præfectos cohortamur, diuinæq; contestatione admonemus, vt de sua & aliorum quorum curam gerunt, salute solliciti, primùm ipsi hæc nostræ monita amplectantur; tum illos etiam crebris cohortationibus ad illa exequenda inflamment; idq; curent, vt non solum Missæ & diuinorũ officiorũ tempore illi in parochialem Ecclesiam conueniant; verum etiam, vt institutas in ea doctrinæ Christianæ scholas præscriptis illis diebus frequentent.

Illud norint præterea vniuersi curæ nostræ commissi fideles, pro modo culpe nos grauius cum illis acturos esse, qui è frequenti ad parochialem Ecclesiam conuentu cum tam salutaria in via Domini adiumenta habere potuerint; ijs neglectis, contemptoq; eo conuentu, illos cõpertum erit, vel ad fidẽ necessaria ignorare, vel statã ieiunia non egisse, vel festorum dierum cultum violasse.

Vt autẽ nostra hæc monitio crebrius

repetita, diligentiusq; emulgata, fidelium mentibus animisque inlixa hæreat, quò studiosius ipsi in illius executionem, quemadmodum vehementer in Domino optamus, incumbant; eam communẽ sermone explicatam, de verbo ad verbum à singulis parochis quàm sæpius populo sibi commissio legi & recitari mandamus.

#### Decretum. V.

SACERDOTES, & Clerici in feriõres, Dominicis festisq; diebus, quæ hora in choro diuinis officijs concelebrandis adstricti nõ sunt parochum intra cuius parochiæ fines habitant, in doctrinæ Christianæ scholis adiuuent; in vrbe ad præscriptum eorum, quibus id curæ ab Archiepiscopo datum erit; in diocesi autem Vicariõrum foraneorum.

Si quis verò pagus aut vicus frequens est; vbi ( quoniam ab Ecclesia parochiali distet, ab eoq; nõ longè oratoria, capellæve ) doctrinæ Christianæ scholam Vicarij foranei iudicio erigi expediat; hoc idem Vicarius iubeat, vt illius pagi, seu vici, seu earum capellarum Sacerdotes Clerice, id Christianæ doctrinæ scholas adiuuandi munus, quod in parochiali Ecclesia illis iniunximus, in ipsis capellis oratorijsve statuto tempore præsentent.

Si quando præterea in diocesi per pluuie vim, niues, aliamve temporis grauitatem, viæ aut itineris difficultati adiunctam, ad eiusmodi scholas in parochiali Ecclesia qui debent conuenire difficilius possunt; illud etiam idem Vicarius procuret, vt tunc in oratorijs, vel capellis propinquiõibus, aut saltem si non potest, alio honesto loco, per Clericum idoneum, seu per alios scholæ sodales in vitæ & doctrinæ Christianæ studio instructiores, aliqua tum tradendæ, tum præcipiendæ eiusmodi doctrinæ exercitatio fiat; nè ob vllam causam statutis diebus hoc institutum, atque pabuli spiritalis vltus illis desit.

#### Decretum. VI.

SICVT sanctorum imagines sanctè & decenter exornari postulat Christianæ pietatis cultus; ita cauendũ sum-

C

moperè

Sacerdotes & clerici festis diebus ad doctrinæ christianæ scholas conueniant.

Sacerdotes Clerice, id Christianæ doctrinæ scholas adiuuandi munus, quod in parochiali Ecclesia illis iniunximus, in ipsis capellis oratorijsve statuto tempore præsentent.

Sanctorum imagines decenter exornandæ.